

res sint patroni, et unus solus, vel alter delinquat, tunc beneficium non remanet liberum, maxime si sit hæreditarium, sed juspatronatus competit aliis compatronis innocentibus, annot. ad d. decis. 46, n. 9. Cantera in suis qq. crimin. cap. 1, num. 50. Socinus Junior cons. 51, num. 6, vol. II. Peregr. De jure fisci, lib. v. tit. 1, num. 72. Bajard. ad Clar. lib. v. quæst. 79, num. 26. Sanchez in præcepta Decalogi, lib. II, c. 19, n. 17. Barbosa in conc. Trid., loc. cit., n. 81. Reiffenst. lib. III Decretal., tit. 38, num. 29, et alii. (58. Secus vero, si virtute, seu vigore foundationis ad aliquem devolveretur: siquidem tunc vendente tantum condemnato, si vacaret, pro ejus parte Ordinarius conferret, cit. Annot. ad d. decis. 46, num. 10, et supra dicti doctores.

(59. Juspatronatus, quamvis nequeat vendi de per se principaliter, ac solitarie sumptum; potest tamen vendi per accidens, seu accessorie, uti si vendatur universitas bonorum, cui inseparabiliter est annexum juspatronatus; dummodo ratione illius non augeatur pretium. Communis; arg. cap. *Ex litteris* 7, et cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronat. Neque hoc casu requiritur consensus episcopi. Rota part. 7, rec. dec. 206, n. 28, part. 14, dec. 536, n. 183, et communis doctorum. (60. Secus autem quando translatio fit rerum particularium, et signanter juspatronatus; tunc enim, non attenta tituli universitate requiritur consensus ordinarii. Rota part. 14, dec. 536, n. 184. (61. Juspatronatus accessorie, seu per accidens potest transferri in alium, non solum per venditionem universitatis bonorum, sed etiam per venditionem rei particularis, cui inseparabiliter sit annexum, dummodo ratione illius pretium non augeatur. Barbosa Collectan. in cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 2, ubi dicit hoc clare colligi ex textu dicti cap. *Ex litteris*, Cardin. in c. *Cum sæculum* 13, De jurepatronat., quæst. 5. Reiffenst. loc. cit., n. 31, ubi dicit hanc opinionem esse veriorum et juri conformiorem, et in hanc inclinant etiam multi alii. (62. Si enim fundator dicat: «Statuo, seu volo, quod juspatronatus semper inseparabiliter annexum sit huic palatio, huic domui, huic fundo, huic agro, et hujusmodi, ita ut in quemcumque transierit hoc palatium, hæc domus, hic fundus, hic ager, et hujusmodi, transeat etiam inseparabiliter juspatronatus, » videtur clarum, quod per venditionem et translationem talis palatii, talis domus, talis fundi, talis agri, et hujusmodi, transferatur et vendatur accessorie, et per accidens etiam ipsum juspatronatus inseparabiliter ipsi palatio, domui, etc., a fundatore annexum: quia, cum possit fundator in limine foundationis apponere conditiones et pacta sibi benevisa, etiamsi juri communi sint contraria, dummodo accedat episcopi consensus, ut tenet Rota part. 1, recent. dec. 530, n. 2, et communis canonistarum, ideo ejus voluntas est servanda. Rota par. 2, rec. dec. 254, n. 2, et aliter esset inutilis et ridicula ejus facultas sic disponendi et apponendi quascunque

conditiones, et quæcumque pacta sibi benevisa, si non deberet ejus servari voluntas sic disponens; tum quia jura et rationes æque militant de tali re particulari ac de universitate bonorum, ut consideranti patet; et regula universalis, et illimitata ab ipsis etiam adversariis alibi illimitate sæpe posita, est, quod juspatronatus transeat cum re cui est inseparabiliter annexum; arg. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat. et universaliter accessorium sequatur naturam principalis; cap. *Accessorium* 42, De regul. juris in 6, ibi: « Accessorium naturam sequi congruit principalis. » (63. Nec intervenit simonia, quia dum venditur res, in qua inest juspatronatus non venditur ipsum juspatronatus, sed illa res, cui inest, ut docet S. Thom. 2-2, q. 106, art. 4. Abbas et Bero in cap. *de jure* in 16, de jurepatronat., et alii plures, et Annotat. ad dec. 46, Rotæ p. 9, tom. I, n. 15.

(64. Plurimi tamen, et maximi doctores, ut Innocent. in cap. *Ex litteris* 7, jurepatronat., num. 3, et ibid., Joan. Andr. n. 3. Hostiensis n. 7. Abbas n. 14, Fagnan. n. 19. Roch. de Curte in tractat. de jurepatronat. in verb. *Ipsæ velis*, quæst. 20. Lambertin. in eodem tract. par. 2, lib. 1, quæst. 5, art. 7, et plures alii citati a Covar. lib. 1 Variarum resol., cap. 13, n. 3, conclusionem limitant, dicendo, quod juspatronatus transeat quidem cum re particulari, cui est inseparabiliter annexum, si vendatur res particularis continens jura universitatis, cujusmodi secundum ipsos sunt civitas, castrum, oppidum, pagus, villa aut fundus, cui jura universitatis, aut jurisdictionis, servitutis, onera, actiones, et hujusmodi, sunt annexa; non sic autem si vendatur res particularis talia jura universitatis non continens.

(65. Juspatronatus annexum castrum, villam et hujusmodi rei datæ in dotem, transit cum ipsa dote in maritum, ita ut, stante matrimonio, Jus præsentandi competat marito, et non uxori. Garcias De Benefic., part. 5, cap. 9, n. 137 et seq. Menochius cons. 66, n. 27. Mantica dec. 140, num. 2 et 13. Barbosa in cit. cap. *Ex litteris* 7, de jurepatronat., n. 3, et De offic. et potest. episc., par. 3, alleg. 71, n. 38, cum plurimis ibi citatis, et fere communi aliorum contra Abbatem et Azorium. Et ratio est, quia juspatronatus transit cum re in illum, qui eam cum dominio directo, vel saltem utili acquirit; ut arg. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat. et cap. *Cum Bertoldus* 18, De sententia et re judicata, tenet ex communi Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris*, n. 15. Sed maritus durante matrimonio, habet dominium saltem utile dotis; l. Bote ancillam, C. De rei vindicat., cap. *Per vestras* 7, De donat. inter vir. et uxor., c. *Salubriter* 16, De usuris; ergo, etc.

(66. Juspatronatus annexum inseparabiliter castrum, oppido, pago, palatio, prædio, et hujusmodi dato in feudum, seu emphyteusim, transit cum ipso in feudatarium seu emphyteutam; Communis, arg. cap. *Cum sæculum* 13, De jurepatronat., et ibi Glossa verb. *Emptorum*; et ad hoc facit ratio allata supra n. 58. (67. Secus autem,

si tale castrum, oppidum, palatium, prædium, et hujusmodi, detur solum pro pignore, aut hypothecca, quia tunc juspatronatus non transit cum ipso castro, oppido et hujusmodi in creditorem habentem pignus, aut hypotheccam, sed remanet apud debitorem, ita ut eveniente tali tempore vacantia beneficii patronati jus præsentandi competat debitori et non creditori; arg. cap. *Cum Bertoldus* 18, De sententia et re judicata, et tenet communis doctorum cum Fagnan. in cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., num. 16. Et ratio est, quia ad hoc, ut transeat juspatronatus cum aliqua re, requiritur omnino, quod ipsa res transeat quoad dominium directum, vel saltem utile; et non sufficit quod transeat solum quoad civilem, vel naturalem nudam possessionem, ut arg. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., et cit. cap. *Cum Bertoldus* 18, De sent. et re judicata, docet ex communi Fagnan. in d. cap. *Ex litteris*, num. 15. In creditorem autem habentem pignus non transit dominium pignoris, nec directum, nec utile, sed nuda ipsius possessio (nisi aliter conventum fuerit), et tenetur creditor fructus perceptos restituere, vel in sortem computare, et peccat utendo; cap. *Cum contra* 6, De pignorib., cap. *Plures* 1, De usuris, et l. Sed an via, ff. de pignoribus, et l. Creditor, ff. De furt. adeoque juspatronatus, nec accessorie transit cum pignore seu hypothecca.

(68. Juspatronatus annexum rei concessæ ad firmam, seu locatæ ad longum tempus, v. gr. saltem ad decennium transit ad conductorem, ita ut eveniente vacatione beneficii tempore locationis et conductionis, jus præsentandi spectet ad conductorem, et non ad locatorem. Communis cum Abbate in cit. cap. *Litteris* 7, De jurepatronat. n. 5. Barbosa ibid., num. 5. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, num. 76, arg. cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., et cap. *Vestra* 2, De locato et conducto. Et ratio est, quia per talem concessionem ad firmam, seu locationem ad longum tempus transit possessio, et omnis utilitas rei locatæ in conductorem, et consequenter etiam juspatronatus, seu ratio præsentandi, quæ est quædam commoditas et veluti fructus jurispatronatus. (69. Insuper secundum Barbosam in cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 4, Glossam et alios ibi citatos, juspatronatus transit etiam in conductorem cum re locata, et conductæ ad modicum, seu breve tempus, quia etiam per locationem ad modicum, seu breve tempus transit commoditas rei locatæ in conductorem, ita ut illi liceat uti et frui re conductæ, ut habetur in leg. *Ex conducto* 16, ff. Locali. Ideoque videtur etiam transire in ipsum jus præsentandi, seu ipsam præsentationem, quæ est quædam commoditas, vel quidam fructus jurispatronatus juxta doctrinam Glossæ receptæ in c. *Cum olim* 14, De majorit. et obedient., verb. *Capitulo*, et Glossa ult. in c. *Cum Bertoldus* 18, de sent. et re judicata.

(70. At vero, licet hæc sententia sit proba-

bilis ut etiam censet Abbas in cit. cap. *Ex litteris* 7, De jurepatronat., n. 5, et alii, tamen, ut fatetur ipsemet Barbosa loc. cit., num. 4, in fine, receptior est et melioribus nititur fundamentis sententia contraria, scilicet, quod juspatronatus non transeat ad conductorem cum re locata et conductæ ad modicum et breve tempus, sed maneat penes locantem, quia tunc non transfertur utile dominium, nec possessio, sed nuda detentio rei, et jus percipiendi fructus, ut notatur in l. Si certum, § Si duobus, ff. Commodat. et in l. III, § Ex contrario ff. De acquirend. possess. cum colonus conductus ad modicum et breve tempus non suo, sed domini locantis nomine possideat rem locatam; l. II, De præscript., 30, vel 40. annor. Abbas in cit. cap. *Ex litteris*, num. 5. Fagnan. ibid., n. 14. Bero ibid., n. 2. Cardin. in Clement. 1, § Verum, in 2, qu. De rebus eccles. non alienand. Azorius p. 2, l. VI, c. 20, q. 11. Pirhing l. III Decretal., tit. 38, n. 76, et alii plures citati a Barbosa l. c., n. 4, in principio.

(71. Juspatronatus amittitur, et penitus extinguitur variis modis, sive causis. Primo, juspatronatus cessat et omnino amittitur, si ecclesia patronata sine spe reedificationis totaliter destruat, vel redditus omnino deficiant et pereant. Communis, arg. c. § fin. Inst. de usufructu. Rei enim non existentis nullæ sunt qualitates; cap. *Ad dissolvendum* 13, De desponsat. impuber., l. Si non obtulit 4, § Condemnatum, ff. De re judicata. (72. Secundo, quando causa, propter quam quis erat patronus, preempta est; Lambertin. De jurepatronat. lib. III, q. 6, art. 1. Barbosa l. III, Juris ecclesiast. univers., cap. 12, num. 254, et alii passim. (73. Tertio, deficiente et penitus extincta linea vocatorum ad tale juspatronatus, tunc enim ecclesia seu beneficium libertatem consequitur, et libere ab ordinario confertur. Barbosa loc. cit., n. 154. Pirhing lib. III Decretal., tit. 38, n. 138. Reiffenst. ibid. num. 125. Engel. ibid., num. 26, et alii communiter. (74. Quarto, per non usum longissimi, vel longi temporis ad præscriptionem requisiti, si videlicet interea duabus saltem vicibus rector ecclesiæ fuerit absque præsentatione institutus, dummodo tamen patronus non fuerit legitime impeditus. Abbas cons. 106, col. penult. l. II, Barbosa l. c., Pirhing l. c. Reiffenst. l. c., et communis aliorum. (75. Quinto, si patronus patiatur ecclesiam patronatam erigi in collegiatam seu monasterium, quia in his præsentatio aliqua locum non habet, sed electio; cap. *Nobis* 23, De jurepatronat., et sic tenet communis cum supracitatis. (76. Sexto, si ecclesia patronata cum consensu patroni alteri ecclesiæ, vel monasterio, sine reservatione jurispatronatus uniatur, vel incorporetur; quia per talem unionem, seu incorporationem censetur ecclesia extincta, et consequenter etiam juspatronatus in illa competens patrono. Pirhing l. c., Reiffenst. l. c. Zoesius tit. De jurepatronat., n. 68. Joan. And. in cap. 2, De religiosis domibus,

et alii. (77. Septimo extinguitur per liberam remissionem patroni; quilibet enim renuntiare potest juri suo; cap. *Si diligenti* 12, De foro competent., etc. Si de terra 6, De privileg., et tenet Zoësius loc. cit. Pirhing l. e., et alii; arg. c. *Si Laicus*, unic. De jurepatron., in 6. (78. Octavo, si patronus rectorem, vel alium clericum ipsius ecclesie per se vel per alios occiderit, aut mutilaverit, eo ipso juspatronatus amittit, textu expresso in cap. *In quibusdam* 12, § Sacris, de penis. Nisi tamen id faceret ad sui necessariam defensionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et tale juspatronatus ob hanc delicti causam extinctum non transit ad hæredes, sed ecclesia fit libera. Glossa in cit. cap. *In quibusdam*, verb. *Prorsus amittant*, Barbosa loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. l. cit., Vivian. in Praxi jurepatronat., lib. xv, cap. 2, n. 10, et alii. (79. Nono, si patronus fiat hæreticus, schismaticus, aut apostata, seu hæreticorum receptor, factor et defensor, quia in tali casu bonis omnibus spoliatur, et consequenter etiam jurepatronatus eis annexo; arg. cap. *Absolutos* 16, De hæreticis. Moneta De Commut. ult. volunt. cap. 11. n. 158. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, n. 6. Barbosa loc. cit. Engel loc. cit. Pirhing loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. (80. Decimo, si patronus se ingerat in perceptione fructuum beneficii patronati, aut ejus bona usurpet, in tali enim casu ipso facto privatur jurepatronatus, et incurrit excommunicationem reservatam, textu expresso in concil. Trid., sess. 22, *De reform.* cap. 11. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 1, n. 13. Franciscus Leo in Thesaurio fori ecclesiastici, p. 2, c. 2, c. 21, n. 32. Barbosa loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (81. Undecimo, si patronus modo a sacris canonibus prohibito vendat, aut alio modo in alium transferat juspatronatus, quia in tali casu ipso facto privatur jurepatronatus, et excommunicationi subjicitur, textu expresso in concil. Trid., sess. 25, *De reform.*, cap. 9, § Nec dictum juspatronatus, Engel, loc. cit., Reiffenstuel. loc. cit., et alii. (82. Duodecimo, jurepatronatus privandus est, qui illud simoniace acquisivit; arg. cap. *Quia clerici* 6, De jurepatronatus, Zoësius loc. cit., Pirhing loc. cit., Reiffenst. loc. cit., et alii. (83. Tertiodecimo, si patronus ingratus sit ecclesie, perdit juspatronatus. Vivian. loc. cit., lib. xv, cap. 2, num. 4. Barbosa loc. cit. Surd. De aliment., tit. 7, quæst. 32, n. 9 et 19, et qu. 58, n. 2, et alii.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Disserit hoc in articulo Auctor de modis derivativis, quibus acquiritur juspatronatus, tum de modis quibus amittitur.

(84. Agens Auctor de successione, qui est unus de modis derivativis, asserit n. 7, plures hæredes pro inæqualibus partibus institutos æqualiter in juspatronatus succedere. At si intelligit de exercitio juspatronatus res haud caret difficultate; dum illud juxta hæreditarias partes dividatur. Confer

Gagliard. De jurepatronat., cap. 10, n. 4. (85. Quod, inquit Auctor, n. 9, conventiones, in quibus jus præsentandi per turnum dividitur, opus haud habere consensu ordinarii, accuratiori indiget discussione. Porro si conventio hæc sit inita inter eos, quorum aliquis nullam prorsus partem juspatronatus habeat, necessarius ad ejus validitatem est consensus ordinarii, isque non ratione juris præsentandi per turnum, sed alienationis in extraneum; Rot. in Mediolanen. Juspatronatus 4 Junii 1734, cor. bon. mem. Harrac.

(86. Quod si inita sit dicta conventio inter patronos, sed sit inter eos aliquis qui alienare quoquomodo prohibetur, ut est patronus ecclesiasticus, opus est ad ejus validitatem, ratione dictæ prohibitionis, confirmatione pontificia; Rota in Paderbornen. Canoniceatus 25 Junii 1726, cor. bon. mem. Cer.

(87. Si inita sit dicta conventio inter patronos quorum nemo alienare prohibetur, sed patronis in suo cuique turno adjectum sit onus præsentandi has vel illas personas, ratione hujusce oneris ad illius validitatem accedere pariter debet pontificia confirmatio; Rot. in Valentina Beneficii 28 Junii 1723, cor. bon. mem. Gamach.

(88. At si dicta conventio intersit inter patronos, nec aliquis de ipsis alienare sit prohibitus, nec onus iis sit adjectum præsentandi aliquem de certo genere personarum, subsistit sine ulla ecclesiastici superioris auctoritate; Rota cor. Dunozet. Jun. dec. 702, n. 1, et in Compostellana Parochialis 22 Febr. 1734, § Ubi vero, cor. Eminentiss. Crescentio.

(89. Utrum ad firmitatem dictæ conventionis requiratur consensus omnium patronorum, an sufficiat consensus majoris partis ipsorum, non incongrua quæstio est. Requiritur consensus omnium patronorum videntur affirmare Piton. De contro. Patron., allegat. 109, n. 318. Rota in Pistorien. Beneficii 1716, § Alia cor. bon. mem. Cerr.

(90. At ita intelligas, ut possit dictam conventionem impugnare patronus, qui non consensit, non item aliqui de patronis, qui suum præstiterunt consensum, quibusque propterea vetitum esse debet factum proprium impugnare; Rota in Hydruntina Capellanæ 10 Maii 1679, § final. cor. bon. mem. dell' Olmo, et Barchinonen. Beneficii 22 Februarii 1704, § final. cor. bon. mem. Cafarell.

(91. Quenam requirantur, ut hæc conventio efficere possit ex persona propria vocatos ad juspatronatus, vide apud Piton. De contro. patron., alleg. 71, n. 15.

(92. Nec inutile est hic accuratius explicare, an et quando, re non integra, possit necne supervenire consensus ordinarii, et validare actum, in quo fuit translatus juspatronatus. Plures vero distinguendi sunt casus. Enimvero ubi agitur de donatione simplici juspatronatus inutilis est consensus ordinarii superveniens, re nondum integra; idque quia, non obstante hu-

jusmodi donatione, liberum erat donanti ab ea resilire, et ad alios juspatronatus transferre; Rot. in Pennen. Juspatronatus 2 Maii 1733, § 7, et seq. et in confirmatoria 3 Julii 1744, § 4, cor. clar. mem. Millin.

(93. Aliter se res habet quoad donationem juspatronatus continentem pactum juratum de non revocando. Etenim cum hujusmodi donatio irrevocabilis maneat quoad donantem, etiam ante consensum ordinarii; inde fit quod subsequens translatio, utpote irrita ex defectu potestatis, nullum præbere valeat impedimentum consensui ordinarii, qui, quandocunque supervenerit, validat actum usque ab initio; Rot. in Aquilana Beneficii 28 Junii 1749, § 3, cor. Rever. P. D. Canilliac. Decano, et in Compostellana parochialis de Coiros 8 Maii 1747, § 7, decis. coram illustr. Clement. inter impressas Romæ 1781, apud Barbiellini ad Miquervam.

(94. Quod in donatione juspatronatus, continente pactum juratum de non revocando, obtinet, id ex identitate rationis locum quoque sibi vindicat in dispositione ejusdem juspatronatus facta per legatum. Nam cum hæres nullatenus ex se impedire valeat, quominus adimpleatur voluntas testatoris favore alterius de suo juspatronatus disponentis; imo illam modis omnibus ad optatum finem perducere teneatur: hinc est quod, si ipse hæres contra fas et jura voluntatem defuncti eludat, donando ante consensum ordinarii juspatronatus, nullum ex hujusmodi irrita donatione oriri potest obstaculum supervenienti consensui ordinarii, qui propterea indistincte retrahitur ad diem factæ dispositionis in præjudicium cujuslibet actus interim gesti; Rot. in Tuden. parochialis de Teuton. 20 Junii 1757, § 13, et in confirmatoria 28 Novembris 1757, § 12, cor. R. P. D. Herreros.

ARTICULUS III.

*Juspatronatus, quoad ea quæ concernunt ejus probationem.*

SUMMARIUM.

1. Alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi: Et quomodo probari debeat in personis suspectis vel non suspectis de usurpatione, et quæ sint personæ suspectæ: ad num. 3. — 4. Ad hoc ut juspatronatus præsumatur acquisitum ex usurpatione, quid probari debeat; ad num. 8. — 9. Juspatronatus usurpatio in quibus præsumi possit: ad num. 12. — 15. Præsumptio usurpationis juspatronatus quando cesset: ad num. 22. — 25. Assignantur personæ privatæ, et non suspectæ de usurpatione juspatronatus; et quid requiratur ad patronatum probandum in prædictis personis: ad num. 26. — 27. Juspatronatus in personis potentibus quomodo probari debeat: et an requiratur scriptura authentica, et quæ sit talis scriptura: ad num. 30. — 31. Ad hoc ut scripturæ et instrumenta dicantur authentica, quid requiratur: ad num. 32. — 33. Scripturæ authentica ad probandum juspatronatus personæ suspectæ de usurpatione, quæ censeantur: ad num. 35. — 36. Præsentationes per authenticas scripturas probandæ, an et quomodo esse debeant continuatæ: ad num. 42. — 45. Juspatronatus in personis privatis non requirit tam plenam probationem sicuti in personis potentibus. — 44. Assignantur et explicantur varii

FERRARIS. IV.

modi, quibus probatur juspatronatus in personis privatis, ubi plura alia scitu digna ad rem obiter afferuntur, ad num. 81. — 82. Subnectuntur additiones ex aliena manu ad num. 86.

(1. Cum beneficia præsumantur libera, alleganti juspatronatus incumbit onus illud probandi. Rota recent. p. 4, tom. II, dec. 59, n. 9. (2. Alio autem modo probari debet juspatronatus a personis suspectis de usurpatione, in quibus exactiores probationes requiruntur. Conc. Trid. sess. 25 *De reform.*, cap. 9. Rota recent. par. 4, tom. II, dec. 59, n. 11. Et alio modo a personis privatis, in quibus conc. Trid. loc. cit. nihil innovavit circa hujusmodi probationem, sed illam reliquit in terminis juris communis; Rota p. 1, dec. 211, n. 2, et dec. 312, num. 2, part. 5, tom. I, dec. 290, num. 10, part. 12, dec. 162, num. 4, part. 17, dec. 220, num. 11.

(3. Personæ suspectæ de usurpatione juspatronatus sunt omnes domini civitatum, castrorum, aut locorum, duces, principes, marchiones, comites, barones, universitates, seu communitates, et alii quilibet domini perpetuam jurisdictionem habentes in loco beneficii. Sic declarasse sacram congregationem concilii refert Gonzalez ad Regul. 8, Cancell. gloss. 18, n. 66, et sæpe sæpius tenuit Rota, et signanter in Sorana juspatronatus 28 Aprilis 1603, coram Card. Pamphil. et in alia Jacen. parochialis 17 Junii 1603, coram eodem, et in Lucana juspatronatus 14 Junii 1621, cor. Coccino, et par. 2, rec. dec. 412, num. 4, et decis. 421, n. 1, part. 12, dec. 187, n. 1, part. 14, dec. 488, num. 6, 7 et 8. (4. Nec juspatronatus præsumitur acquisitum ex usurpatione ex sola potentia acquirentium, nisi etiam probetur eorundem temporalis jurisdictio in loco ubi situm est beneficium; Rota part. 3, recent. dec. 172, n. 10, et decis. 191, n. 2, part. 12, dec. 187, n. 1, et sæpe alibi. (5. Ita ut jurisdictio seu potentia extra locum beneficii non sufficiat; Rota part. 5, rec. tom. I, decis. 197, n. 37 et 38. Nisi potentia sit talis quæ influat etiam in locum beneficii; Rota part. 7, rec. dec. 282, n. 22, et sequent. par. 12, dec. 90, n. 26. (6. Cæterum usurpatio non præsumitur in personis privatis alicujus loci, quamvis sint potentes in alio; Rota part. 12, dec. 90, n. 24. (7. Imo, ut usurpatio suspicari valeat de familia, requiritur quod eadem familia sit in loco beneficii cum tali jurisdictione quæ incutiat formidinem ordinario, eumque retrahat a vindicanda usurpatione beneficii; Rota part. 19, tom. II, decis. 539, n. 6. (8. Neque ad hunc effectum potentia inducitur ex nobilitate et antiquitate familiæ; Rota part. 12, decis. 90, n. 21 et 22.

(9. Juspatronatus usurpatio non solum præsumitur in dominis temporalibus et familiis potentibus, ut supra; sed etiam in universitatibus seu communitatibus; Conc. Trid., cit. sess. 25, *De reform.*, cap. 9, ibi: «Seu communitatibus vel universitatibus» Rota part. 5, rec. tom. I, dec. 197, n. 31 et 32, et

40